

Johann Kleinschmidt

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Kleinschmid,  
I.U.D. & P. Ad Exequias Quas ... Virgini Elisabethae Havemans/ filiae charissimae,  
pater moestissimus Hodie hora prima in Templo S. Jacobaeo paratas cupit,  
Omnes omnium ordinum cives Academicos Studiose invitat**

Rostochii: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77085866X>

Druck Freier  Zugang



Kleinschmid, J.,  
in E. Haveman.

Rostock, 1638.

39







PROGRAMMA

Quo

Rektor Universitatis Rostochiensis

JOHANNES KIE

SCHMID, J. U. D. & P.

AD EXEQUIAS

Quas

LECTISSIMÆ VIRGI

ELISABETHÆ

SABEMANÆ filiaē charissimæ, pater moestissimus,

*Hodie hora prima in Templo S. Jacobeo paratas cupit,*

Omnes omnium ordinum cives Academicos Studiosè invitat.



ROSTOCHII.

Literis NICOLAI KILII, Acad. Typographi.

ANNO MDCXXXVIII.

868  
**R**

Es est admiratione digna,  
inter Christianos inveniri, qui ad  
mortis mentionem cohorrescant,  
quam tamen CHRISTUS noster  
Servator, somnum appellat, & ja-  
nuam, qua ad vitam æternam ingredimur, esse  
omne corde credimus, & voce prædicamus.  
Præterdunt aliqui ac dicunt, vitam esse natu-  
ralem, ut eorum formula utar, mortem non esse.  
Nec ius responsi commoditate, non est, quod  
hoc tempore prolixè commentemur: sufficiat,  
quod non omnia naturalia infinitè expetenda  
sint. Cibi appetitus, ut & potus, naturalis om-  
nino est, & tamen ad abstinentiæ mentionem  
non cohorrescimus. In convivio lautè & pro-  
lixè cum accepti sumus, abstinemus tandem, nisi  
*case, quædam* quadam aut bulimia laborare, videri  
velimus. Quid si convivam hospes ex media  
cena excitet, quantumvis dubia, & lautio-  
rem eum in alio triclinio promittat, nisi is elegantia sit  
omnis & civilitatis expertus, surgat omnino, & se-  
quatur: Nec dicat, quia naturale sit hoc convi-  
vium, ideo se alterum aspernari, & ad excitatio-  
nem cohorrescere. Verum si sublato velo rem  
ipsam inspiciamus, apparebit, quid sit, quod  
hunc nobis horrorem incutiat. Est, qui plenas  
num-

nummorum arcas, & sacciperia possidet, imo ab  
iis possidetur: qui hortos elegantes, qui domum  
splendidam, qui fundos latissimos habet, imo  
ab iis habetur potius,

*Mille cui Siculis errant in montibus agna,*

qui pascendis bubus prata cum habeat amplissi-  
ma, tamen iis pascendis exigua videantur, qui  
naves magnas preciosis mercibus oneret, alioq;  
terras sole calentes variis fructibus saturet: Has  
ille divitias, hanc copiam, hanc omnium rerum  
abundantiam invitus deserit, eamq; si frui li-  
ceat, certam, ut videtur, illis dubiis, aut saltem  
nondum perceptis, præponit. Honorum dul-  
cedo similes uncas habet, similes hamos volu-  
ptas, quibus capti & inescati homines adeo te-  
nentur, ut ab iis non nisi inviti avellantur, nec  
sine dolore. Juvenes multos annos promittunt  
sibi, propter corporis vires, & ætatis constantiã:  
qui eo magis quã senes & vetulæ sunt excusan-  
di: quamvis & ipsi vix mercantur excusationẽ.  
Isti vero & istæ quid habeant, quid spectent,  
quid sectentur, vix video.

*Inservunt satis, ederunt satis, atq; biberunt,*

*Tempus abire domum,*

esset iis maximè oportunũ: sed ut apparet amor  
seculi & rerum secularium, ita eos occupavit, ut  
neq; videant, neq; intelligant, quantũ in morte



boni sit, quæ eos ab rebus vanis, imo ex periculis, calamitatibus, oculorū & animi doloribus, damnis non reparandis liberet, atq; ex tempestate in portum deducat. Quid si, ut Ethnici quidam putarunt, (pudendum esset ac detestandum de Christianis quoq; nonnullis verè diceretur, anima sit mortalis, nihil essent mortui infeliciores, quam antequam nascerentur: Nemo de infelicitate ista conqueritur, in qua ante hanc nativitatem fuerit: nemo conqueretur de ea, quæ post mortem foret. Atqui non solum credimus, Dei gratia, & persuasissimum habemus immortalem esse animam, sed æterna lætitia fruituram, quæ præparata sit CHRISTUM diligentibus, & in eum vere credentibus. Num vero non pervenimus tandem suis vestigiis ad cubile in quo hæc fera latet? Amor ergo secularium rerum eos tenet, qui mortis ægrè mentionem audiunt, has inviti deserunt; deinde quia negare nō possunt, animā immortalem esse, metuent, quas rerum secularium abusus animo & conscientie maculas inussit, ne pœnis æternis luendæ, & expiandæ sint, Quid ni enim amor nimius, & vitiosus divitiarum præcedat inopiam æternā? honorum usus immodicus, cum fastu & superbia conjunctus, æternam ignominiam? voluptates illicitas, luxum, ebrietatem, quid ni excipiant

641  
pian æternus dolor, sitis, fames, ejulatus, ac stridor dentium? quæ cum scirent autores nostræ fidei, nihil non agendum sibi putarunt, ut non tantum rectè vivendi artem nos docerent, sed & beatè moriendi, ut non tantum ad mortis mentionem non horreamus, sed potius tanquam ad lætum nuntium exiliamus, quod facere solent, qui in carcere diuturno, & molesto, se cras vel perendie liberatū iri audiunt. Quæ lætitia nuntii, tanto solet ac debet esse major, quanto citius adfertur; neq; enim opus est multitudine annorum, ad ejus pereipiendam lætitiā: Heri vel nudinstertius, qui in carcerem conjectus est, multò libentius audit, fore ut cras, vel perendie liberetur, quam si post annos sexaginta, vel plures esse id futurū audiat, interim sibi in pedore & squalore vivendum, in catenis, pedicis, boijs, numellis tædiosè ac molestè non sine exspectatione, & metu, majoris afflictionis desidendum. Annon ergo rectè dixit, sive is noster fuerit, sive τῶν ἐξωτέρων, qui dixit,

Ὁν θεοὶ φιλοῦσιν, κέν ὀδοθήσκει vs̄.

*Quem diligit Deus, citò defungitur.*

Verè defungitur voluptatibus insidiosis, opum animum suffocantium venenis, honorum casui, proximorum periculis: Nunquid ergo dicemus, Deo dilectam fuisse lectissimam, & pudicissimā

A 3

virgi:

virginem **ELISABETHAM Havemans**/quæ & adolescentula mortua est, & virgo: quarum ordo cum tenerrimus inter humanæ societatis ordines habeatur, quippe qui facile violari possit, tum est pulcherrimus. Hæc autem **ELISABETA** nata est hac in urbe, ex parentibus primarijs, & honestissimis, patre quidem **PAULO** cive honorato, & variis muneribus publicis hac in civitate perfuncto, adhuc Dei gratia superstite, & matre ante annos quasi septem defuncta, honestissima, & præstantissima foemina **ANNÆ Stüven**. Avus paternus ei fuit **LAURENTIUS Haveman**/avia paterna **MAGDALENA Gölers**/ Avus maternus **HEINRICUS Stüve**. Avia materna **MARGARETA Serdes**. Ex his ergo parentibus, primarijs, honestissimis, pietate virtute & integritate præstantibus hæc virgo nata est Anno 1621. die 2. Maij. Anno autem hoc trigesimo octavo die 5 Aprilis inter quintam & sextam matutinam fato suo defuncta est, postquam vixisset, annos septendecim nondum plenos, minus quippe 27. diebus. Breve lane est omnino hujus vitæ spatium, nec otiosè tamen ac per desidiâ ductum. Cum enim post acceptû baptismum lacte materno paulatim crevisset, iis initijs & artibus imbuta est, quibus puellæ ingenuæ, & honestæ imbui solent, elementa pietatis  
ut

ut non audiendo tantum, sed & legendo disceret,  
precibus vacaret, ac cæteris quæ ad cultum numinis  
faciunt assuefieret. Pietati adjunctum est obediendi  
studium, & assiduum atq; indefessum Oeconomici  
laboris exercitium: quod eò diligentius ei obeundū  
fuit, quamvis teneræ, quo citius & immaturius ma-  
trem desideratissimam amisit, id, quod Anno ætatis  
decimo factum constat. Cum enim pater  
non privata magis, quam publica curaret,  
tissimam quidem, sed maximam tamen filiæ  
rei familiaris committere necesse habuit: qua illæ  
provincia sedulo functæ, utilissimam patri operam  
in totius Oeconomix negotio, rectè curando nava-  
runt. Quæ opera huic nostræ geminata est, cum so-  
ror natu major ex patria potestate in maritum sui do-  
mum transfret. Quod etsi anno, & aliquanto am-  
plius non duravit, tamen facilis est conjectura, virgi-  
ni adhuc teneræ sollicitudinem ac laborem istum, sub  
viduo parente, & publicis negotiis præfecto, non si-  
ne molestia accidisse. Factum est igitur, ut morbo  
correpta gravi, quod eventus docuit, vinceretur, ac  
vita brevi, molesta, ærumnosa, doloris ac moeroris  
plena feliciter defungeretur. Quidni enim feliciter,  
quæ plura vidit, & molestiora sensit incommoda,  
quam commoda, quæ bonis æternis jam commuta-  
vit? Matrem decennis amisit: quanta lætitiæ pars  
virgunculæ decessit, cum decederet mater, id est, non  
tantum nutrix ac tutrix, sed etiam futuræ fortunæ  
si Deo ita placuisset, pararia, & conciliatrix. Hanc  
ergo amisit, incommodissimo sibi tempore, cum au-  
res belli strepitu offenderentur, oculi armorum ful-  
gore perstringerentur, pericula corporibus, fortunis,  
pudori & castitati imminerant, plura etiam, quam in

oculis & auribus essent metuenda, & expectanda ve-  
nirent. A qui potuissent eam in hac vita tenere, ado-  
lescentiæ vigor, formæ venustas, spes honestarum  
nuptiarum, & alia: potuissent sanè, nisi, ut humana  
sunt, primùm dubia, deinde ἀλλοτριὰ καὶ μινυθὰ δια, bre-  
vi tempore durantiâ, & caduca ea essent. Iste enim  
vigor, quam sit res durabilis, ista formæ venustas, quâ  
sit constans, ipsa jam experientia eam docuit: spes  
nuptiarum valde ambigua est: quis enim fidem  
felices eas fore, & propter quas hoc aliquis va-  
rium deserat? Nunc autem eo in statu versatur,  
qui adolescentiæ vigorem habet nō brevem, sed diu-  
turnum, imo æternum; formæ venustatem non cadu-  
cam, sed constantem, & minimè fugientem; nuptias  
non dubias minis, sed agni illius coelestis, cum læ-  
titia nunquam desitura conjunctas. Modum ergo  
mœstissim⁹ parens, dolori suo ponet aliàs justissimo.  
Filiam quidem amisit, rei domesticæ fidelem adjutri-  
cem, sed eam extra mundi hujus pericula novit posi-  
tam, novit eam versari in coetu beatorū, nec hujus vi-  
tæ curis amplius duci. Nos quoq; Cives Academici,  
gratulemur, huic virgini, quæ tanquã una, ex illis pru-  
dentibus lampade, & oleo instructa, sponsi adventū  
expectavit, & cum eo in thalamum gaudii æterni, fa-  
tuis exclusis, intravit. Multa olim, & præclara huic vir-  
ginum ordini, privilegia data fuisse legimus, & merito  
quidem, virgines coronis & sertis defunctæ, sandapi-  
lam ornant; Nos hunc ei honorem tribuamus, ut no-  
stra præsentia, & frequentia funus virginis ornemus,  
& cui alia pro tempore præstare nō possumus, id quod  
possumus, præstare ne denegemus. Efferreretur autem  
funus hodie hora 1. pomeridiana. Conventu ad ædem  
S. Jacobi indicto. P. P. Rostochij, die 10. April.  
Anno 1638, sub sigillo Rectoratus.












piant æternus dolor, sitis, fames, ejulatus, & dolor dentium? quæ cum scirent auctores fidei, nihil non agendum sibi putarunt, ut tantum rectè vivendi artem nos docerent, beatè moriendi, ut non tantum ad mortificationem non horreamus, sed potius tantum lætatum nuntium exiliamus, quod facere sibi qui in carcere diuturno, & molesto, se cuperendie liberatū iri audiunt. Quæ lætitudi-  
tū, tanto solet ac debet esse major, quanto adfertur; neq; enim opus est multitudinem, ad ejus percipiendam lætitiā: Heri diu-  
stertius, qui in carcerem conjectus est, libentius audit, fore ut cras, vel perendie liberatur, quam si post annos sexaginta, vel plura id futurū audiat, interim sibi in pedore & dolore vivendum, in catenis, pedicis, boijs, n-  
lis tædiosè ac molestè non sine expectati-  
metu, majoris afflictionis desidendum. A-  
ergo rectè dixit, sive is noster fuerit, sive  
ἄλλων, qui dixit,

Ὁν θεοὶ φιλεῖσιν, κενὸν ἀποθνήσκει νεκρῶν.

*Quem diligit Deus, citò defungitur.*

Verè defungitur voluptatibus insidiosis, animum suffocantium venenis, honorum proximorum periculis: Nunquid ergo dicitur Deo dilectam fuisse lectissimam, & pudicam

A 3



the scale towards document

0.93

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.